

passione. De resurrectione autem dicit: Hec dies, quam fecit Dominus, exultemus et letemur in ea. Et interiectis ^{a)} versibus: Constituite diem solemnem in confrequentationibus usque ad cornu altaris. Dixerunt: Sic verum est, ut die dominico Pascha celebretur, quia et tantis benedictionibus sanctificatus est, ut in eo die Dominum nostrum Iesum Christum a mortuis manifestum sit resurrexisse. Dixerunt: Ecce, constitutum est de die dominico. De tempore, quid vobis videtur? Responderunt: Numquid ^{b)} aliter intelligi potest nisi quod in divina scriptura prefinitum est, dicente per Moysen: Hic mensis erit vobis initium mensium, Pascha facite in eo! Non dixit: In 1. die mensis aut 10. aut 20., sed totos 30 dies in Pascha sanctificavit. At illi dixerunt: Qui sunt hi 30 dies? At illi responderunt: Iam autem ^{c)} diximus, principium mundi esse equinoctium. Ab 8. enim Kal. Apr. usque ad 8. Kal. Mai. ¹⁾ hi sunt 30 dies in Pascha sanctificati. At illi dixerunt: Et impium non est, ut illi tres dies passionis dominice foras terminum excludantur, id est 11. Kal. Apr. ²⁾ 5. feria, quod cena Domini vocatur, qua cum discipulis suis discubuit, quando et Iude predixit, quod ab ipso esset tradendus, quod constat fuisse impletum et 10. Kal. Apr. ³⁾, quo passus, et 9. Kal. Apr. ^{d)} ⁴⁾, quo sepultus fuit. Quomodo ergo hi tres dies extra terminum excluduntur? Dixerunt omnes: Non est verum, ut foras limitem passio mittatur, sed introducantur hi tres dies in ordine paschali et de novissimo reducantur. Et ita statutum est in illo concilio, ut nec ante 11. Kal. Apr. nec post 11. Kal. Mai. ⁵⁾ fieri debeat Pascha. Ecce de die vel tempore statutum est. De luna, quid vobis videtur? Responderunt: Similiter et de luna preceptum divinum servetur, dicente Moyse ^{e)}: Et sit vobis observatio a 14. usque ad 21. lunam, has 8 lunas in Pascha fuisse consecratas certum est. Quando ergo intra illum terminum statutum dies dominicus et luna una ex his 8 convenerit ^{f)}, Pascha nobis iussum est celebrare. Finit ^{g)} epistola Theophili ^{g)}.

I, 5

Hec est epistola predicta Theophili ceterorumque sanctorum virorum simplicium, qui inprimis res incognitas neque etiam antea tractatas in

^{a)} folgt aliquot L. ^{b)} nunquid V. ^{c)} fehlt L. ^{d)} folgt in L.
^{e)} Moysi V. ^{f)} cum venerit V. ^{g)} Finit — Theophili fehlt L.

¹⁾ 24. IV.

²⁾ 22. III.

³⁾ 23. III.

⁴⁾ 24. III.

⁵⁾ 21. IV.